1819 5

Reverende vir frater in Christo dilecte, mitto ad te responsum, quod ad notationes, quas ad te proxime in meum illud Scriptum misi, authori reddidi. Attigi paucula, eaque principaliora, quae statum causae monstrant et fundamentum salutis commendant. Negat is adhuc, foedus esse rem sacramentorum et Coenae Domini: hocque Dei mysterium, isdem adhuc oppugnat armis, quibus in notationibus tibi missis: refertque foedus tantum ad Dei promissiones: ac contendit, obligationem nostri erga Deum, non pertinere ad rem sacramentorum. Deinde totum Coenae usum, sicut et rem signatam, partim mutat, partim mutilat, partim pervertit: opponens tantum humana quaedam somnia, et humanas authoritates, dicta et scripta, colloquia et confessiones, ac fictum consensum reformatarum ecclesiarum. Foedus autem, cum Deus ipse manifesto suo verbo, rem sacramentorum signatam constituerit: ac ipse filius hoc Dei decretum, sicut et universum sacramentorum ordinatum usum (ut in meo responso demonstravi) pervertat mutet mutilet et oppugnet: dubito, an non peccet in Spiritum Sanctum Dei? ac an bona conscientia cum eo quisquam conferre possit: praesertim cum in foederis doctrina, tota hominum salus sit fundata: ac mutilatio et perversio rei signatae in Coena, ac legitimi ipsius usus, ipsum salutis nostrae fundamentum pervertat: nec ex Deo esse aut piis auribus audiri possit, qui claro et expresso Dei verbo contradicat; ac ipsi prope ethnici quoque prohibuerint disputare cum eo, qui principia neget. plus n. est, expressas scripturas, ac clarum Dei verbum negare et oppugnare quam principia nativa. Verum sicut hoc est blasphemum: ita illud alterum est apostaticum, quod a verbo et statutis Dei deficit, ac ad humana somnia, et hominum authoritates se convertit, sicut et idololatricum est, quod hominum authoritati et scriptis plus tribuit, quam Deo, et expresso Dei verbo: siquidem Deum alienum habere, aliud non est quam fiduciam suam in alia re, quam in Deo, et eius verbo collocare. Contra non nisi hostis Dei potest iudicari; qui eius expresso verbo et decretis se opponit: praesertim si vel verbo vel opere simul persequatur Dei verbo expresso adhaerentes. Seditiosus vero est, dum etiam a Dei patefactionibus et decretis, ad homines et hominum statuta ac authoritates deducit, neque ipse prae Dei verbo acquiescere facit. id quod facere istum per omnia videbis, ubi eius Scripta, imprimis illud, quod nunc contra Hamburgenses edidit legere, ac cum verbo Dei, et sana etiam tua conferes. Oro, ut eius notationes, et hoc meum responsum expendas, ac quid tibi videatur prima quaque occasione ostendas. Res utique est maxima, et digna, in qua dignoscenda, et vero a falso segregando, fideles Christi servi, se exerceant quam diligentissime. Miseret me istorum, licet iuxta mundi huius [illegible], ego ipsis longe sum miserior: miseret me etiam vestri generosi Comitis, qui istorum authoritate (quod vere apostaticum et idololatricum est) persuasus, manifesto Dei verbo et expressis scripturae decretis cum illis resistit, humanaque multitudine confidit. Dominus Jesus subveniat ipsi, eumque ex his laqueis Satanae liberet, alias non video, quis aut quomodo eum quisquam iuvare possit. Optarem

signatam:

eum i Deo

hac communicare cum optimis quibusque in quovis loco, itaque primo quoque tempore et occasione eorumque iudicia et consilia explorari. Moneo etiam [illegible], ut talium scripta cum iudicio differant legere, nec quicquam tribuere eis, qui ad humana placita, scripta, et authoritates relegant. Ut Lactantius dixit: ibi nullam esse religionem, ubicunque sit simulacrum: ita pro dolor experior, nullum esse Dei timorem et nullam fidem ac sinceritatem in iis, qui tam manifestis Dei decretis reiectis, ad homines et fictam, eamque reformatam confessionem, fidelium curas dederunt. palam enim Dei mysteria rident, fingunt id quod non est. A domesticis periculis afficitur, cum breviter ad vos excurrerem+, qua de causa ipse coniectare potes. Disputationem non admittet, sed nec mecum per collationes ordinarie voluit agere. Tu corroborare in fide et malo ne cedas. aderit Dominus suo pusillo gregi, et dabit victoriam, perdentibus animas suas. Cogita de his materiis, bonorumque iudicia et consilia explora. Ego solus sum, nec cum quoque, nisi eiici cursus velim, ausim communicare: plane enim verum est, ut ubi tenetur doctrina falsa, ibi etiam sit tyrannus, iuxta dictum: Mendax est et homicida. Dominus Jesus te illuminet, protegat, roboret et liberet ab omni astutia et vi satanae. Saluta generosos D. Hanau et Bentheim cum praeceptoribus et aliis amicis ac fidelibus fratribus. Datae Bre[illegible] pridie Calend. Febr. Ao 90.

+ acceptisque à se, necessarijs rebus peculium ad rem,

T. T.

Iosephus Naso.

Reverendo et clarissimo viro
domino M. Joanni Pistatori
professori theologiae in schola
Heidelbergensi dignissimo fratri
et amico suo in Christo.

Reddite 27 Mart. 1590